

1670.

379, ^{b, c} Simon, Joh. Gery: De obsessione itineris. 3 Exmpl.

1670 : 1714.

38. Simon, Joh. Gery: De doctoribus bullatis.

39. Simon, Joh. Gery: Bona vacantia.

40 ^{a et} Simon, Joh. Gery: De jure compensandi. 2 Exmpl.

1670 : 1678.

41 ^{a et} Simon, Joh. Gery: Tempora praescriptionum.

2 Exmpl 1670 : 1672.

42 ^{a et} Simon, Joh. Gery: Dubia LX. juridica.

43. Simon, Joh. Gery: Vacantata fide. Rec. 1678.

44 ^{a b c} Simon, Joh. Gery: Sogastoria disciplina.

3 Exmpl. 1670 : 1678.

45. Sommer, Christophorus: De jejunii natura

46. Strauchius, Matthias: De tempore.

47. Strauchius, Johannes: De successione ab intestato.

48. Strauchius, Johannes: De successione conventionali.

1670.

49. Stranchius, Johannes: Innocentius III independantia
regni Galliarum exortor seu Dissertationum Canoniarum
III ad capit. per venerabilem XIII decretalium Ad. Quis
filius dicit legitimus..
50. Stranchius, Johannes: De conditione triticaria
51. Stranchius, Johannes: De privilegiis
52. Stranchius, Johannes: De fortuna
- 53^a Stranchius, Johannes: De viis. 2 Impl. 1670-1722
54. Stranchius, Johannes: De competentia fori.
55. Stranchius, Johannes: De actionibus.
56. Tilmanus, Burchardus Henricus: De injuriis
57. Tilmanus, Burchard Henricus: De legitimis
liberorum


Tha

7m

1
us

2





Fr. 4. num. 17.

836.

4962
5

1184

XIV.

1670, 44^a

13

I. N. J

ERGASTERIA

DISCIPLINARIA

VULGO

Die Zuchthäuser

MAGNIFICO. FACULTATIS. JURIDICÆ. PERMISSU

PRÆSIDE

DN. JOH. GEORG. SIMONE. D.

PUBLICÆ. VENTILATIONI. EXPONIT

SAMUEL. Süllich

ALTENBURGENSIS

AUTOR

JENÆ. DIE. XI. JUNII. A. O. R. M. DC. LXX

LITERIS. NISIANIS

7424



⓪

2



202

III

BERGASTERIA

DISCIPLINARIA

VILBO

MAGNifico FACULTATIS JURIDICAE PERMISSO

PRÆSIDE

DR. JOH. GEORG. SIMONE

PUBLICE VENTILATO ET PUBLICE

SAMUEL

ALTENBURGENSIS

AUTOR

JENÆ DIE XI JUNII A. O. R. M. DC. LXX

LITÆRÆ JURIS



L. S.

Mirum est, quod de poenis scripsit
 Cyprianus 2. ad Donat. à Gethofredo, in not.
 ad rubr. ff. de poen. allegatus: Ad unum ho-
 minis corpus plura supplicia esse, quàm
 membra; Et tamen verum. Quis enim o-
 mnia poenarum apud Gentes usitatarum ge-
 nera recensere poterit? Imò vel solius Romanæ Gentis poe-
 nas in medium afferre & opus & labor esset. Paucas saltim
 ad scopum meum præsentem adducam. Frequen-
 tes scil. Romanis erant: Damnatio in metallum, cuius poenæ
 mentio fit in l. 46. ff. de manumiss. testam. l. 24. §. 5. de fidei-
 comm. libert. quam à Tarquiniò Superbò excogitatam scri-
 bit Eutropius l. 1. c. 10. & Suidas in verb. Σέμπρο: Qui ta-
 men & in voce Semiramis. Semiramidem metalla invenisse,
 eaque per captivos exercuisse testatur. Damnatio in opus
 metalli, l. 17. pr. de poen. quæ vinculis differebat à priori, l. 8.
 §. 6. eod. Damnatio in calcariam & sulphurariam. d. l. §. 10.
 Damnatio in ministerium metallicorum, nec non in Salinas,
 quæ foeminarum poena erat, d. l. §. 8. l. 6. de captiv. & postlim.
 Damnatio in latomias, vel ut Pand. Florent. alique libri ve-
 rustissimi legunt, lautumias, l. 9. ex quib. caus. major. Da-
 mnatio in pistrinum, l. 1. §. 9. ff. de pos. l. 1. §. 3. l. 6. ff. de im-
 pens. in res dot. fact. & forsitan consimiles alia. Harum e-
 nim occasione orta videntur hodierna Ergasteria, maximò
 sanè rerump. commodò extracta, de quibus nonnulla, non

A 2

qui-

quidē pro materiae dignitate, sed pro exiguis ingenii mei vi-
ribus, quippe quas mihi impraesentiarum periclitari placet,
sum propositurus. Quoniam verò benè universa geruntur
& competenter, si rei principium fiat decens & amabile
Deo, *Nov. 6. in pr.* & absque Deo nihil unquam commodè
geri potest. *Nov. 164. in pr.* Ideò Eundem supplex veneror,
ut Ipse sit principium, medium atque finis, *Nov. 109. in pr.*

CAP. I.

De

DEFINITIONE, MORALITATE
ATQVE DIVISIONE ERGASTE-
RIORUM.

Mihi, de Ergasteriis brevem aliquam tractationem insti-
tuturo, Ulpiani exemplo *l. 1. pr. ff. de J. & J. l. 1. pr. de
R. C.* erit inquirendum in vocis huius originem. Est ita-
que Ergasterium vocab. *Grac. ἐργαστήριον*, à verbo *ἐργά-
ζομαι*, operor, descendens, & civitate Latinà donatum, vique pri-
mitivi sui denotat locum, in quò fiunt opera. Sumitur autem tri-
pliciter (1.) pro tabernà mercimoniis deputatà, *l. 2. C. de Episc. &
Cler.* ibi: quod ex eorum ergasteriis vel tabernis conquiri potuit,
l. 2. C. de metat. & epidemet. ibi: ergasteria, quæ mercimoniis de-
putantur. (2.) Pro officinis fabrorum atque opificum, *Prat. in
Lex. Jur. sub h. voc.* (3.) Pro locis quibus otiosi, immorigeri, prodi-
gi, huiusq; surfuris alii ad faciendà opera adiguntur, in quò signi-
ficatu hoc vocabulum hîc accipitur. Præterea tamen Ergasteria nò
uno efferuntur nomine, quandoquidem aliis appellantur ergastu-
la, ædes disciplinares, pistrina, claustra pœnalia, Gall. prisons d'
esclaves, Germ. Zuchtschulen/Zuchthäuser/ Spinnhäuser/ Nori-
bergensium dicitur das Springerhaus. Sed enim præmissis jam
præmittendis formanda erit Ergasteriorum definitio, quæ forsitan
talis esse potest: *Ergasteria sunt loca, Magistratus autoritate, ad ho-
mines à vitâ inhonestâ ad honestam laboribus compellendos, salutis
publicæ causâ extructa.* *Dr. 1. Magistratus autoritate.* Hic enim
est

est causa efficiens, cum ipsi incumbat in temp. introducere, introductamque conservare salutem, id quod Cicero alicubi sic eloquitur: Ut gubernatori cursus secundus, medico salus, Imperatori victoria: Sic moderatori Reip. beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit, Respublica. Ergasteria autem insigne sunt medium istam salutem introducendi atque conservandi; Sunt quippe poenae & coercitiones, quibus male operati puniuntur, suaque sponte opus boni viri facere detrectantes ad id coguntur, utrisque ansa ulterius delinquendi praescinditur. 2. *Ad homines &c.* sc. tam inclusos, quam eos, qui in iisdem actu non sunt inclusi, ut odisse peccare incipiant formidine poenae. Sic enim *Arist. 10. Eth. c. 9.* Οἱ γὰρ πολλοὶ ἀνδύνημα ἄλλον, ἢ λόγῳ πειθαρχῶσι, καὶ ζημίαις, ἢ τῷ καλῷ. Quae verba sic Latina reddidit elegantissime *Dn. Rachelius*: Vulgus namque hominum necessitati potius paret, quam rationibus & verbis: Item damnis & poenis citius, quam respectu honesti in officio continetur. 3. *Compellendos salutis &c.* In his verbis ultimis habetur finis tam intermedius, quam ultimus. Intermedius est contra civitatis finem operantis aut operati correctio, *arg. l. 20. ff. de poen.* In eo quippe haut exigua salutis publicae pars consistit, ut cives aberrantes a via salutis, in eam reducantur, quod utique per Ergasteria efficitur. Ultimus est salus publica. Omnes nimirum actus magistratus tendere debent ad salutem publicam, tanquam grave ad centrum, *Dn. Gæz. Us. Philos. Moral. in Facult. Sup. cap. de suppliciis. §. 5.* Ast haec sufficiant de Definitione. Evolvenda nunc venit Ergasteriorum moralitas. Ergasteria verò aliquam in se fovere malitiam intrinsecam, nemo sanus affirmabit, cum sint quasi medicamenta civitatis. Quemadmodum autem medicamenta in se non sunt mala, sed saltem apparenter; Ita & Ergasteria, quia sc. sunt contra inclinationem appetitumque harum aedium inquilinorum, iisdemque mala videntur. Insuper Ergasteria humanae naturae oppidò convenientia esse inde dispalescit, quod poena eidem non disconveniat, quae infligitur, quod regula actionis ordinaria tam saepe negligatur, contraque civitatis finem peccetur. Natura enim omninò salutem publicam, praescribit, praescribet proinde & media, sine quibus ea obtineri nequit.



nequit. Nequit verò obtineri sine pœnis, atque hæ sæpè numero fiunt per condemnationem in Ergasteria. Quamvis etiam homo suapte naturâ liber sit, indeque nec Ergasterio videatur mancipandus; Attamen dum delinquit per abusum libertatis, jus perdit, quod habet ad membrorum usum, *Dom. Soto de J. & J. l. 5. p. 2. art. 3.* Dividuntur quoque Ergasteria in virorum *Rasphauser* & foeminarum *Spinnhäuser*; sicut Hamburgi videre licet alibi que & de Amstelodamo testatur *Zesen in Descript. Amstel. l. 4. p. 302. & 315.* Mitius enim agendum cum foeminis, *arg. l. 6. ad L. Jul. Pecul. ibique Gothofr. in not. lit. e. l. 38. §. 7. ad L. Jul. de adult.* Sic Amstelodami foemina in Ergasterium condemnata tenentur linum, lanamque carpere, texere plagas &c. *Zesen d. pag. 315.* Cùm contrà multi virorum lignum Brasilianum tantò labore minuere cogantur, ut sudore, quamvis nudi laborent, toti madeant, *Id. p. 304.* Non possum hîc me temporare, quin mentionem faciam formæ lapideæ, portæ des *Amsterdamischen Rasphauses* impositæ. Sc. cernitur auriga curru, ferris limisque & aliis domus hujus instrumentis repleto, junctos habens duos lupos, ursos, leones, aliasque feras bestias, quibus verbera ingerit acerbissima, additâ hac epigraphe: Virtutis est domare, quæ cuncti pavent. *Zesen d. l. simili modò reperiuntur figuræ visu non indignæ iiber den Spinnhäuser* / quas exhibet *Zesen d. l. pag. 316.* sed missis hisce, progredior ad

CAP. II.

De

PERSONIS, QUIBUS POTESTAS ERIGENDI ERGASTERIA COMPETIT.

ERgasteria recturis necesse est, ut habeant jurisdictionem. Jurisdictio enim secundum *Dn. Struv. S. G. Ex. 4. tb. 79. 80. 81.* hodiè ferè tripliciter accipitur: I. Pro ipsâ majestate s. summo Imperiò, vel specialiter, pro illis juribus majestatis, quæ sunt de legibus statuendis, ac dijudicandis causis tam secularibus, iisque civilibus & criminalibus; quàm ecclesiasticis, ut & magistratibus ordinandis. Atque hæc jurisdictio respectu totius imperii Roman. Germ.

Germ. est penes Imperatorem & Status simul; Respectu verò particularium rerump. est penes singulos Status, ratione territoriorum suorum, in quibus analogam Majestati Imperatoria potestatem habent, & vocatur in specie jurisdictio territorialis, Landesfürstliche hohe Obrigkeit / & in civitatibus Imperialibus Landes hohe Obrigkeit / Landes Ober- und Herrlichkeit. II. Specialius denotat jurisdictio illam, quam Status Imperii rursus in suos subditos per investituram vel aliam concessionem transferunt; jus in civilibus ut & criminalibus reddendi potestatem, non administratoriam, sed perpetuam, ipsique territorio, castro s. feudo coherentem, Germ. die Gerichte. Quò pertinet divisio jurisdictionis in superiorem, Ober Gerichte / Hals Gerichte / Peinliche Gerichte / Blutbann; & inferiorem, Erb Gerichte / Nieder- oder Unter Gerichte; III. Jurisdictio significat de omnibus causis civilibus judicandi potestatem. Quicumque igitur habent jurisdictionem primò significatu acceptam, eos potestatem Ergasteria erigendi habere statuo. Inter omnes verò eandem habentes primò locò ponendum puto Imperatorem Romanum. Est enim mundi dominus, l. 9. ad L. Rhod. de jact. non quidem ratione potestatis, sed ratione eminentiæ, Magnif. Dn. Thoma ad Lampad. q. 294. Proximum verò post Imperatorem locum tribuo Electoribus, qui sunt die allernechsten Glieder des H. Römischen Reichs / A. B. tit. 2. Oberste Väter der Teutschen Nation / Hortled. de caus. bell. Germ. l. 1. c. 37. p. 292. Et acquisitam habent jurisdictionem plenariam & omnimodam, cum omnibus pertinentiis & superioritate territoriali, die hohe Landesfürstliche Obrigkeit / mit allen Gerichten / Oberst / Mittelst und Niedrigst / mit allen ihren Ehren / Würden / Freyheiten / Nutzen und Zugehörungen. Habent jus remittendi pœnas capitales per R. I. zu Spener de anno 1526. §. Und wiewohl. Unde & ipsis competit pro capitali, aut aliò etiam delictò aliquem afficere pœnâ Ergasterii, & per consequens Ergasteria erigere. Sic Potentiss. Elector Saxonie Dresdæ habet den Bau / ubi multi malefici durissimis laboribus maleficiorum suorum pœnas luunt quotidianas. Hos sequuntur Principes Imperii, habent quippe & hi jurisdictionem territorialem; Quilibet enim Princeps est Imperator in suo territorio, & tantum in illo potest, quantum Imperator in Impe-

riò;



12
riō; Exceptis reservatis Imperatoris, *Magnif. Dn. Thoma ad Lamp. q. 178.* Juxta hos nominandæ veniunt Civitates Imperiales, iisdemque hæc potestas simili modō asserenda, cum pari jure cum Principibus gaudeant, uti apparet ex *Instr. Pac. art. 8. vers. tam in universalibus.* Indeque habent jurisdictionem territorialem, *Magnif. Dn. Thoma ad Lamp. q. 185.* Ita Norinbergæ erectum cernitur das Springerhaus /cujus inhabitatores ad purgandas vias, ad fodiendum &c. His an addendæ sint Civitates mixtæ inter Imperiales & provinciales? (quæ, licet recognoscant Duces, in quorum territoriō sitæ sunt, gaudent tamen suis regalibus ab Imperatore immediatè concessis; Sicut Hamburgum paret Ducibus Holfatiæ, salvis immunitatibus ab Imperatore indultis, *alleg. Magnif. Dn. Thoma ad Lamp. q. 247.*) non est expeditum. Neque in universum unâ regulâ comprehendî potest. Quando enim exercetur id genus coërcitionis vi meri imperii, ut in delictis arbitrariis, vel quæ perpetuis carceribus animadvertuntur, haut dubiè ejusmodi magistratibus competet: Ubi verò in locum supplicii capitalis per modum aggratiationis exercetur, neque vi Regalium competet his civitatibus, neque jure territoriali, quod non habent, nisi civitates Imperiales. Exteris denique regibus, principibus, rebusque publicis liberis, propter potestatem independentem, potestatem erigendi Ergasteria competere nullum est dubium.

CAP. III.

De

PERSONIS IN ERGASTERIA DETRUDENDIS.

HActenus perlustratæ fuerunt personæ, quibus potestas Ergasteria erigendi competit; Nunc agendum quoque erit de personis in ea detrudendis. In genere itaque in ea detrudendi sunt & mares & foeminae, hoc tamen cum discrimine, ut uterque sexus peculiare habeat Ergasterium, *arg. l. 3. C. de custod. reor.* In specie verò I. LIBERI IMMORIGERI, domi coërceri atque ad officium redigi nescii. Quod officium in quō consistat, eleganter tradit *Gv. Grot. Ench. de Princ. Jur. Nat. c. 10. §. 9. & 10. ibique alleg.*

alleg. Selden. de Jur. Nat. l. 7. c. 2. Hoc etiam lex divina *Exod. 22. Deut. 5.* singulari cum emphasi liberis inculcat. Turca quoque in octo suis vitæ præceptis tertio loco parentes colere præcipiunt, scientes forsitan ex *Plat. l. 9. & 11.* quod Dii nihil facilius exaudiant, quam imprecationes parentum, quas justissimas esse putant, cum liberi parentibus maximum honorem debeant, *Menav. in Rel. Hist. Turc. vid. Arnif. Pol. c. 5.* Pietatem utique liberi parentibus debent, *l. 10. ff. de obseq. parent.* Pietatis ratio in parentibus constare debet, *l. 1. eod.* Filio semper honesta & sancta persona patris videri debet, *l. 9. eod.* Et licet legum contemptor sit, tamen pater est, *Nov. 12. c. 2.* Quicumque igitur parentibus debitam obedientiam, honorem atque reverentiam perseveranti pertinaciâ recusant, facile ad saniores frugem reducentur, si in Ergasteria conjecti non prius dimittantur, quam signa emendationis vitæ exhibuerint. Filios immorigeros, à nemine videri desiderantes in peculiari Ergasterio Amstelodami haberi testatur, *Zesen d. l. p. 304.*

II. OTIOSI. Hi enim peccant non modò in antiquissimum Dei præceptum. In sudore vultus tui vesceris pane tuo: Deus nihil otiosi in totò mundo vult ferre, uti pluribus ostendunt *Camill. Borell. in Spec. Princ. in præf. Alphons. de Avezedo in Const. Reg. Hispan. lib. 8. tit. 11. l. 1. n. 1. & 2.* Verùm peccant quoque in salutem publicam, dum nihil prorsus ad illius conservationem tendens faciunt; Quin potius aliorum operas devorant, cum propriis laboribus de victu sibi non prospiciant. Nemo quippe de vento vivere præsumitur, *l. fin. C. de alim. pupill. præf.* Antonii Pii laudabilis vox est, qui otiosis salaria eripiens: Nihil, dixit, esse sordidius, imò crudelius, quam si remp. arroderent ii, qui in eâ suo labore nihil cõferunt, *Jul. Capitol. in Anton. Pio.* Præprimis itaque ab otio cives sunt retrahendi ad amplectendū aliquod honestū vitæ genus. De otio lex Regis Ægypti Amasis habetur *ap. Herod. l. 3. & Diodor. l. 1.* quâ jubebantur cives singuli vitæ suæ rationem quotannis reddere. Qui probare non poterant, se ex prædiorum fructibus vel honesto quæstu vivere; Aut convincebantur otio diffluxisse, poenam mortis promeruerant. Ab Ægyptiis legem hanc mutuatus Solon; Vel ut *Plutarchus* existimat in *Solon.* Pisistratus; Vel ut *Lysias* arbitratur in *Orat. contra Niciam* Draco, Athenien-

B

nien-

472
nienfibustulit, potestatem concedens Arcopagitis otiosos supplicio
afficere, *Valer. Max. l. 2. c. 1.* Atque hæc lex probè cognita fuit,
Hugoni Marchioni Brandenburgensi, Ottonis III. Imperatoris in
Italia Vicario, qui otiosos in iudicium ad reddendam otii & sum-
ptuum rationem vocavit, *Klock. de Ærar. l. 2. c. 102. num. 16.* Quæ
consuetudo ab hoc Hugone introducta etiamnum viget in Hetru-
riâ, maximè Florentiæ, teste *Camerario, Oper. Subsec. c. 15. fol. 137.*
Melius proindè cum iis agi nequit, qui spontaneos manuum sua-
rum labores manducare nolunt, quàm si illi eosdem coactos in
Ergasteriis manducare teneantur. Videatur etiam *Rönig Theatr. Pol. part. 2. c. 10. n. 30. & seqq.*

III. MENDICANTES VALIDI. Illi enim quos morbi
vel ætatis malum ad laborem reddit ineptos non sunt molestandi,
Nov. 80. c. 5. Sed recipiendi in Ptochotrophia, Orphanotrophia,
Nosocomia, Gerontocomia, &c. atque ex arario sacro alendi.
Rönig Theatr. Pol. part. 2. c. 10. n. 29. Validi verò, qui victum,
mendicando potius, quàm laborando quærere gestiunt, in repub.
sicuti olim non sunt tolerati, *Plato l. 8. de LL. Camerar. lib. 1. Oper. Subf.* ita nec hodie sunt tolerandi. *Schönborn. lib. 3. Pol. c. 15. Rönig d. l. n. 46.* Verùm si simpliciter indebitè mendicant, nihil aliud
fingentes, ad laborem sunt adhortandi, huncque detrectantes, si
indigenæ, in Ergasteria contemnendi; Si peregrini, è rep. ejici-
endi, subque poenâ Ergasteriorum ipsis reditus prohibendus, si-
que revertantur, poenæ huic statim subjiciendi. Simili modò qui
v. g. faciunt sibi tibias & manus intumescere, vel mentiendo ali-
quem casum fortuitum, v. g. incendii &c. stipem emendicant, ho-
minesque decipiunt, statim, fraude compertâ, in Ergasteria utili-
ter conjici possent. Aliàs juxta Jus Saxon. his dicitur poena,
fustigationis cum relegatione, sicut *Resp. Scab. Lips. d. 17. Dec. An- no 1624.* Poenam, quam Sacratiss. Imp. Justinianus in validos
mendicantes constituerit, vid. *l. un. C. de mendic. valid.* quæ lex
sepulta deploratur *Damboudero Prax. Crim. c. 110. n. 58.* Idem quo-
que *c. 151.* recenset Regiæ Majestatis Hispaniæ edictum, quò vaga-
bundi mendici ad triemes poscebantur. Quod & Carolus V. &
Philippus Hispaniarum reges sanxerant in Statutis Mechin. Anno
1605. editis, referente *Arnif. Pol. c. 18.* Carolus M. palantibus men-

mendicis aliquid tribui vetuit, & quamlibet regionem suos alere jussit pauperes ad labores ineptos, *Klock. d. l. n. 40. König d. l. n. 47.* Huc pertinent Constitutiones Imp. de Annis 1500. 1530. 1549. sub rubricâ von Bettlern / à D. Denaisio in Jur. Cam. relatâ. Quod si igitur cum mendicantibus dictô modô apud nos ageretur, denuò dici posset, quod *Goldast. lib. 3. Rer. Germ.* scribit, mendicos olim ap. Germanos non fuisse.

IV. ZYGARI. Italis appellantur Cingali propter vitam motoriam atque vagabundam, à cingalo s. cinglo, quod motacillam denotare dicitur, Germanis nominantur Zigeuner quasi ziehe einher / quoniam vagabundi sunt homines, *Webner. Observ. Pract. verb. Zigeuner.* Unde autem primi orti fuerint in tanta Historicorum nubè exactè perspicere nequit. Varias opiniones; *vid. ap. Limn. J. P. l. 9. c. 1.* Hi, qui An. 1427. d. 17. August. Parisiis apparuerunt, patriam suam nominarunt Ægyptum inferiorem; A Pontifice verò pœnitentiæ locò sibi esse dixerunt impositum propter apostasiam à fide Christianâ, ut septem annis hinc inde sine certâ sede vagarent. Septennium verò istud non modò majoribus, sed & successoribus, conficiendum esse perpetuâ serie. Qui verò An. 1439. in Germaniâ innotuerunt, appellarunt se quidem Ægyptios, verùm vagabundos propter majorum delictum, quò virgini Mariæ cum puerò Jesu Herodis tyrannidem effugienti hospitium denegâssent. Hodierni Zygarum sunt ex variis nationibus collectorum hominum sentina, multique eorum sunt Germani, & sine certis sedibus regiones peragrantes ex mendaciis, furtis, rapinis, mendicationibus, chiromanticâ divinatione atque magicis artibus vivunt, *Camer. cent. 1. c. 17.* Corpora deditâ operâ efficiunt nigra, pingvedineque unguunt infantes recens natos, ut terreo luteoque colore nationem planè peregrinam mentiantur. Perniciosissimum hoc hominum genus per condemnationem in Ergasteria optimè posset à patriâ nostrâ cohiberi. Sic Rex Galliarum An. 1561. decretum promulgabat, quò omnes præfecti regii Zygarum indicare jubebantur, ut intra duos menses Galliâ excederent sub pœnâ mortis aut triremium. Aliàs *Ord. Pol. Francof. de An. 1576. sub tit. 28.* von Zigeunern / exitiosis hisce hominibus in Imperiò securitatem denegat, eosq; quibusvis impunè offendendos permittit.

V. MILITES EX MILITIA DIMISSI; Herrnlose oder
gartende Knechte und Landfabrer. Multi militum in militia ita,
assuescunt otio atque rapina, ut postea vel sponte aufugientes, vel
dimissi ad labores antea consuetos v. g. opificia &c. ægerrime re-
deant; Quin potius regiones pererrantes apud rusticos prætextu
militiæ stipem colligunt & vel invitis extorquent. Cum autem
malignitati aut malitiis hominum non sit indulgendum, l. 3. C. per
quas pers. l. 38. de R. V. His in rep. locus non est concedendus,
nisi in Ergasteriis, in quæ coniecti laboribus diurnis sunt exercen-
di, pensum non absolventes fame premendi, iisdemque osten-
dendum, quomodò mortui boves, ut Plautus jocatur, incurserint,
vivos homines. Atque de his extat *Constitutio Imperii de Anno*
1555. §. Und damit angeregte Vergaderung/ quæ repetitur in Ord.
Pol. Francof. de An. 1577. sub tit. 7. von den Herrenlosen- und Gar-
ten-Knechten. Addatur Speid. Notab. voc. Gart- und Herrenlosen
Knechte.

VI. DE COCTORES improbi, falliti, bancruptores, Leut-
betrüger / Muthwillige Bancerottirer. Cùm enim creditores
suos suâ culpâ ad paupertatem haut rarò pertrahant, eosdem in
Ergasteria trahere haut esset iniquum. Jure quidem communi
ipsis concessum est bonis cedere; Verùm quoniam isti decoctores
beneficio hoc abutuntur, dum vel pecuniâ largè instructi foro ce-
dunt, vel se plus solvere non posse, quam habent, credunt, rectè
statutis atque moribus quorundam locorum iis hoc denegatur be-
neficium. Dolus enim suus nemini debet patrocinari, l. 1. pr. ff.
de dol. Et frustra implorat beneficium legis, qui contra le-
gem committit, arg. l. 37. de minorib. Habetur verò carcer pu-
blicus, Schuldturm/velut in Electoratu Saxonix, ubi cessione
bonorum per claram sanctionem abrogatâ, debitor culpâ aut pro-
digalitate suâ haut solvendo existens præcisè in ejusmodi carce-
rem publicum conjicitur, Dn. Carpz. Asyl. gener. debit. c. 2. th. 43.
n. 173. Jure communi Saxonico in usu est addictio ad operas cre-
ditori præstandas. der Schuldiger wird dem Gläubiger an die Hand
gewiesen/biß er die Schuld loß arbeite/land R. lib. 3. art 39. Schnei-
der. ad §. fn. Inst. de Action. Atque tali modò in Scabinatu Je-
nensi pronunciatum An. 1657. refert Dn. Struy. S. J. Civ. Exerc. 44.
th. 32.

542
ib. 32. Objicis: Per debitorum condemnationem in Ergasteria,
non consulitur creditoribus. Resp. Quamvis creditoribus non
consulatur in totum, consulitur tamen iisdem in tantum. Potest
quippe magistratus creditoribus aliquid solvere loco illius, quod
fructus ex decoctorum laboribus in Ergasteriis percipit. Quippe
nec in bonorum cessione aut addictione ad operas creditorum, in
totum satis fit omnibus creditoribus, nisi loco solutionis reputare
velint ignominiam, qua vexantur debitores. Solent enim alicu-
bi beneficium cessionis implorantes circumduci per civitatem,
campana pulsata cum tubis & vituperio usque ad locum in quo
cedunt. Alibi in foro sedere coguntur, plebeque circumstante in
os corbem accipere; vel in publicum traducuntur, grege puero-
rum comitante, qui inane gestant marsupium. Quibusdam in
locis cedentibus solvitur Zona. Alibi fit cessio a debitoribus pu-
blice posteriora nudè ostendendo & exclamando: Cedo bonis. In
multis Italiae provinciis cedentes linteamen & pectinem habent,
ac in terram sedentes caput pectinant voce hac emissam: Cedo bonis
Dn. Carpz. Asyl. gener. debit. c. 2. th. 43. Alibi ligantur ad colu-
mnam (an den Saack) vel ad lapidem quem vocant vituperii, co-
guntur ire & eundem nudi percutere, *Zanger. in Comm. ad quat.
pracip. Decret. titul. c. cum te. de sent. & rejudic. n. 39.*

VII. PRODIGI. Hi a praecedentibus differunt in eo, quod
isti praeter bona propria aliena quoque, quae scilicet mutuò sumse-
runt, abliguriant. Prodigii verò bona sua dilacerando & dissi-
pando profundunt, *l. 1. pr. ff. de curat. furios.* Sunt gurgites at-
que voragines sui patrimonii, quod apparet ex formula, qua bo-
nis iis olim interdicebatur *ap. Paul. libr. 3. Sent. tit. 4.* Quando
tua bona paterna avitaeque nequitiam tuam disperdis, liberos tuos ad
egestatem perducis, ob eam rem tibi eam re commercioque inter-
dico. Nec non lege Platonis sic se habente: Unicuique bonorum
suorum possessio libera & integra esto, tum civi, tum peregrino,
nisi quis civis prodigus iis furiosè abutatur. Unde ipsis dantur
curatores, *d. l. 1. pr. de curat. furios.* Expedi enim reip. ne quis
suam re malè utatur, *§. 2. Inst. de his qui sui vel alien. jur.* Ad pro-
bandum verò aliquem esse prodigum, debent testes assignare ratio-
nem, utpote quia vident, quotidie illum dilapidare bona sua & ex-
ponere

ponere ultra facultates, *Paul. Christinaus Decis. 182. num. 27. & seq. vol. 1.* Wann einer frist/saussst/spielt / und hingegen alle andere Arbeit/damit ein ieder nach seinem Stande sich ernehren muß / unterläßt/*Klock. de Ær. l. 2. c. 102. in fin.* Quod si autem ejusmodi prodigalitas coërceretur detrusione in Ergasteria, tunc non modò curatores, prodigis dare soliti, non incommodarentur, sed & ipsi prodigi ad labores in iis adigi, indeque sumtus suos habere possent.

VIII. LEGUM TRANSGRESSORES, quibus juxta leges humanas ultimum supplicium, quibus fustigatio aut relegatio erant infligenda; Aut denique qui damnandi erant ad perpetuos carceres. Quæcunque enim crimina legibus divinis ultimò supplicio vindicantur, illa magistratus remittere nequit, *Deuter. c. 13. v. 8. & seqq. c. 17. v. 12. & seqq.* aliisque in locis. Nisi malit asperam Prophetæ sententiam Achabo dictam audire: Quoniam virum morte dignum dimisisti, erit anima tua pro anima ejus, *1. Reg. 20. in fin.* Notatur Numa Pompilius, qui specie religionis imponens populo; si casu virgo vestalis ei, qui ad supplicium raperetur, occurrisset, liberum eundem dimitti jussit, *Plutarch. in Num.* Qui perversus mos hodiernum Romæ vigere dicitur, nisi quod Vestalium beneficium ad Cardinales jam sit translatum. Quæ verò crimina legibus humanis sunt capitalia, ut crimen furti &c. magistratus abolere vel in totum vel in tantum potest, *l. 4. in fin. l. 9. §. 1. l. 31. in pr. ff. de pæn. Vid. etiam Magnif. Dn. Thomæ ad Lampad. q. 386.* Cum præsentissimo tamen reip. commodo ejusmodi ultimi supplicii candidatos non momentaneâ, sed perpetuâ morte afficit, eos in Ergasteria per vitæ tempus contemnendo. Parci- tur quippe sumtibus in executionem impendendis, illorumque operibus in Ergasteriis exantlandis augetur fiscus. Simili modò fustigationem & relegationem promeriti, eâ non sunt afficiendi, sed in Ergasteria rapiendi. Sæpè enim talismodi homines pœnis hisce non emendantur, & ad quælibet mala reip. infligenda incitantur. Et dantur exempla eorum, qui integras urbes propter hæcæ perpestas pœnas Vulcano tradiderunt. In nonnullis locis viget consuetudo, ut puella nubilis aut meretrix ad mortem contemnatum, legibus sc. merè civilibus, intercessione suâ atque pe-
titione

titione in matrimonium, possit liberare. Rationes redduntur
 hæ: (1.) quod per matrimonium major pœna reo imponatur, (2.)
 quod meretrices hoc pacto vitam meretriciam derelinquant. Ve-
 rum has rationes ridiculas esse quilibet videt. Certè multi hanc
 pœnam non modò non respuerent, verùm ambabus etiam am-
 plecterentur manibus. Deindè meretrix potest iterum orbari suò,
 tali modò paratò, maritò, tumque pristinos mores reassumere
 haut erubescet. Quid? quod, cum eosdem semel in habitum con-
 verterit, ne quidem depositura est in ipsò matrimoniò. Proindè
 hoc non est concedendum, potiusque ejusmodi impudica mulier,
 quæ contra pudicitiam sexui congruentem alienis causis se immi-
 scet, *l. 1. §. 5. de postul. l. 2. pr. de R. J.* etiam abripienda est in Er-
 gasterium, Spinn-Haus/laboribusque ibi maceranda, nullus du-
 bito, quin ad meliorem frugem hac ratione melius, atque acce-
 ptione mariti, sit reditura. Quod autem dictum est de meretri-
 cum intercessione, veniam scil. propterea reo non esse conceden-
 dam, id observetur quoque in petitionibus carnificum, qui ad
 mortem damnatos servos sibi dari petunt; Id quidem usu rece-
 ptum esse in Italia, Germania & Gallia refert ex *Pap. 3. Not. 10. c.*
des remissions. Gotthofredus in not. ad l. 31. lit. e. ff. de pœn. Verùm
 cum sufficiens copia carnificum ubique ferè hodiè habeatur, me-
 lius agit magistratus: si talem maleficum mancipet Ergasterio,
 quàm carnificis officio.

IX. SERVI (I.) BARBARI. Hodiè enim apud Christia-
 nos servitutis jura, quibus alii aliis ferarum in morem subicie-
 bantur, in desuetudinem abierunt, captivique certâ pecuniæ sum-
 mâ redimuntur, *Dn. Bechmann. Comm. π. tit. de bis qui sui vel a-*
lien. n. 59. Dn. Struv. S. C. Ex. 40. th. 69. Scultz. Synops. Inst. tit. de
jur. per l. lit. 4. Eorumque æstimatio est in arbitrio victoris, nisi
 certi aliquid convenerit. Jus autem captos servandi solet conce-
 di singulis, qui ceperunt, extra personas eximiæ dignitatis; In has
 enim reip. aut ejus capiti jus dant plerarumque gentium mores.
Grot. de J. B. l. 3. c. 7. §. 9. 2. ibique in not. Quoniam verò Turcæ
 aliique infideles populi in bellis Christianos captivos in servitu-
 tem condemnant; (De miseriâ Christianorum à Turcis capto-
 rum agit *Speidel. Notab. voc. Gefangene Christen.*) Hinc Christia-
 ni,

hi, æquali severitate crudelitatem hanc retaliantes, captivos Turcas aliosque infideles in servitutem redigunt. Quod si igitur isti captivi mancipentur ergasteriis, ibique ad opera facienda alligentur, quod, quæso, commodum ex eorum laboribus in fiscum redundaret? (2.) NATURA TALES. Per hos intelligo, quos natura rationis adeò impotentes generavit, ut sibimetipsis de victu prospicere nequeant. Hi certè per intentionem naturæ secundariam planè in id geniti videntur, ut ab alterò salutem suam accipiant. Natura enim vult omnibus benè esse etiam illis, qui ex se vivere nequeunt. *arg. §. 6. Inst. de Attil. tut.* Jam verò illud consequi possunt isti beneficiò Ergasteriorum, ubi de salute ipsis debitâ potest prospici locò laborum, quos ibi exantlare tenentur, sicque in iisdem Ergasteria rationem pœnæ non habent.

X. ILLI QUI CAUTIONEM PRÆSTARE NEQUEUNT
 I. DE NON OFFENDENDO. v. g. si quis nudis verbis incendium alicui minetur, metusque exequendi adsit, tunc minitans optime potest conjici in Ergasterium aliquod; Cum enim naturalis inter homines sit cognatio, hominem homini insidiari nefas est, *l. 3. ff. de J. & J.* Sique sufficientem cautionem præstare nequit, retineri, *Ord. Crim. Caroli V.* Ergasteriumque partim pœna esset, partim custodia; Modò minitans de minis convictus aut eas confessus fuerit. Sic minitatus sublevatur præstatione alimentorum, quæ aliàs præbenda sunt incarcerato non habenti, undè alatur; Minitanti namque propter labores, quos in Ergasterio intercæ temporis expedire deberet, facile posset præstari victus. II. DE NON VINDICANDO CARCERE, propter dubiam sc. atque suspectam fidem, quâ quidam juramentum, die Urphede/ non servaturi præsumuntur. Faciles quippe sunt nonnulli hominum ad jurandum, *l. 8. ff. de condit. instit.* Melius itaque est in tempore occurrere, quàm post vulneratam causam remedium quarere, *l. 1. C. quando lic. unicuiq. sine jud.* Formula Urphede in Camerâ Imp. consveta est hæc: Ihr werdet schweren einen Eyd zu Gott und auff das heilige Evangelium/dasß ihr die Gefängniß/ darinnen ihr von wegen euerer Mißhandlung zur Straffe angenommen worden/ gegen den Herrn Cammer-Richter/Præsidenten/ Besitzern und allen des Keyserlichen Cammer-Gerichts-Personen/ auch Bürgemeister und

und Rath der Stadt Speyer / ihren Dienern und Verwandten
 auch sonst männiglich mit Worten oder mit Wercken / heimlich oder
 öffentlich / in keinerley Weise oder Wege rächen oder anten wollet /
 alles treulich und ohne gefehrde. Atque ita juravit C. S. von G.
 bey Herrenberg / præsentibus testibus N. & N. d. 26. Octobr. An.
 1551. *Wehn. in Obs. pr. sub voc. Urfriede.* Videatur etiam de Ur-
 phedâ *Dn. Bechm. Com. ad tit. de in lit. jurand. Obs. præf. 6.*
Treutl. vol. 1. disp. 5. th. 6. lit. 2. & vol. 2. disp. 18. th. 5. lit. f. in fin.
 Atque tantum de personis in Ergasteria detrudendis.

CAP. IV.

De

FINE, EFFECTIBUS, CONTRA-
 RIIS ATQVE AFFINI ERGASTE-
 RIORUM.

Suprà finem Ergasteriorum ultimum dixi salutem publicam, in-
 termedium verò contra civitatis finem operantis aut operati
 correctionem, qui nunc paulò latius erit explicandus. Intendit
 autem magistratus per Ergasteria correctionem

I. LIBERORUM IMMORIGERORUM, qui domi corrigi
 nesciunt. Parentes sanè propter generationem, *pr. Inst. de patr.*
potest. l. 3. ff. de his, qui sui vel alien. jur. perfectionis prærogati-
 vam, beneficiorumq; magnitudinem, potestatem habent in liberos.
 Si itaque liberi hanc contumaciter negligant, parentesque, quos
 venerari oportet, contumeliis afficiant, vel impias manus eis infe-
 rant, delictum hoc ad publicam pietatem pertinens pro modò
 vindicat magistratus, *l. 1. §. 2. ff. de obseq. parent.* Et quidem par-
 ricidas pœnâ L. Pompejæ de parricidiis, §. 3. *Inst. de publ. jud. ibiq;*
Schultz. Contumeliis verò eosdem afficientes, aut verberantes,
 locò carceris, relegationis, manusque amputationis, quâ verberâ-
 runt, quæ pœnæ haut rarò infliguntur, *Schultz. d. l. commodè de-*
trudit in Ergasteria. Et possunt quidem ipsi parentes eosdem
 offerre magistratui, dicturo Ergasterii pœnam, si velint, *arg. l. 3. C.*
de patr. potest. l. 2. ad L. Cornel. de sicar. Si verò nolint parentes,
 cœcò forsitan amore liberorum correpti, autoritate magistratus

C

liberi



liberi contumaces in Ergasteria sunt compellendi, *arg. l. 5. C. de patr. potest.* Poena lege Dei in filios immorigeros constituta olim fuit lapidatio, *Deut. 21. v. 18.* Terribile etiam privilegium à Ludivico Pio Imperatore Anno 1320. concessum legitur Norinbergensibus, vi cuius parentes liberos ἀκολάστους & inobedientes carcere turris coërcere & vivos in profluentem demergere possunt, *Limn. J. P. l. 7. c. 35. n. 14.* Quoniam verò potestatis parentum in liberos facta est mentio, hîc explicare conveniet, in quibus illa consistat. Consistit autem in jure (1.) liberos in extremâ paupertate vendendi, *l. 2. C. de patrib. qui fil. suos distinx.* Ratio est, quia potius libertas, quàm vita est perdenda, cum ad illam detur regressus, ad hanc verò neutiquam. An autem filius venditus fiat servus, *vid. Ungep. Exerc. Justin. 3. q. 3.* Hodie verò ejusmodi venditionem non habere locum, testatur *Perez. in b. t. num. ult. Græneweg. LL. Abrog. in C. b. t.* (2.) eosdem oppignorandi. Cui enim licet, quod plus est, eidem licebit quoque, quod minus est. (3.) Modicè illos castigandi, *l. 3. C. de patr. potest.* (4.) Disponendi de eorum nuptiis, *pr. Inst. de nupt. l. 2. ff. de rit. nupt.* (5.) Præscribendi vitæ genus honestum, *arg. l. 6. lib. 11. C. de spectac. & scen. & lenon.* (6.) In liberorum bona, respectu tamen habitò ad quodvis peculium, *l. 2. C. de patr. potest. §. 1. Inst. per quas pers. cuique acquir. Nov. 117. c. 1.* Sub patriâ potestate verò hodiè non continetur (1.) jus vitæ & necis, sicut olim, *l. 11. in fin. ff. de liber. & posthum. l. ult. C. de patr. potest.* ne parentes malignè circa sanguinem suum inferant judicium, *l. 4. ff. de inoff. testam.* Patria enim potestas in pietate debet, non in atrocitate consistere, *l. 5. ad L. Pomp. de parricid.* (2.) Jus præscribendi religionem, quam sectari debeant liberi; Religio enim, quatenus est actio interna, est ex numero eorum, quæ præscribi vel imperari nequeunt, *Dn. Beckman. Comm. ad A. B. Exerc. 13. n. 22.* Hinc rectè dixit Stephanus Rex Polonia, DEUM tria sibi reservâsse: Scire futura, Ex nihilo aliquid facere, Dominare conscientis.

II. LABORARE NOLENTIUM. Tales sunt otiosi, mendicantes validi, Zygari, milites ex militia dimissi, Herrenlose oder gartende Knechte/prodigi. Quàm severè Chinenses castigant otiosos, ex Boteri Cosmographia recenset *Klock. de anar. d. l. 2. c. 102.*

c. 102. n. 13. & 14. inquit, quod ibi unusquisque aliquid facere cogatur, nec relinquatur palmus terræ, quæ non colatur, nec dragma materiæ, quæ non formetur. Inter alias res, notatu dignas, numerantur quatuor cæcorum millia, qui ferendis frugibus & oryza occupantur. Sic Poloni quoque vagos laboremque fugientes homines aut graviter plectere, aut regiis laboribus mancipare dicuntur. Magistratus utique præcipuè in id incumbere debet, ut otium ex rep. exterminetur. Cicero dicit alicubi de rep. Rom. Tamdiu duravit in civitate gloria, quamdiu adolescentibus otiosis vagari non licuit. Necesse est, inquit Salustius, omnes in rep. sua habere negotia, quibus à malo publico detineantur. Proinde magistratus hac quoque de causâ extruit Ergasteria, ut laborem fugientes metu, verberibus atque fame ad labores adigat, etenim

Quid non mortalia pectora cogis intoleranda fames?

III. DELINQUENTIUM. Illos enim quibus sine læsione divinorum præceptorum vita concedi potest, & qui sine fructu relegatione & fustigatione afficiuntur, utiliter etiã in Ergasteria condemnat magistratus. Et quidem si commiserint delictum privatum, quale committunt decoctores, quos *Ord. Pol. Franc. de Anno 1577. tit. vers. Als vielmahls.* furibus comparat. Alios quippe bonis defraudant, eorumque paupertatis causa existunt. Perversissimi decoctoris exemplum recenlet *Klock. de arar. l. 2. c. 8.* qui cum patrimonium pupilli, cuius tutor erat datus, absumisisset universum, iussus tutelæ rationem reddere. Nihil, inquit, superest; Hanc rationem accipite, aliam nescio. Verum magistratu urgente, ut libellos accepti & expensi afferret; Ille os primo ostendit, deinde podicem, illic recepta esse subindicans, hinc exposita. In areâ des *Amsterdamschen Rasphauses* fures, post fustigationem publicè perpeffam sedere testatur *Zesen d. l. 4. p. 302.* Sive commiserint delictum publicum v. g. crimen falsi, §. 7. *Inst. de publ. judic.* aut aliud etiam. Sicque ii, qui antea reip. nocuerunt, in Ergasteriis eidem satis prodesse possunt.

IV. DEFECTUUM NATURÆ IN SERVIS NATURALIBUS APPARENTIUM. Quia enim hi sibi relictæ salutem debitam minus minusque sunt impetraturi, rectè magistratus & hac de causâ extructa habere debet ergasteria, uttan-

157
quam communis parens istis naturæ defectibus subveniat. Atque hoc nihil in se acerbitatis habet, si tales servi deducantur in Ergasteria, ut antea quoque subinnui, cum istorum labores perpetuâ alimentorum certitudine ibi compensentur, quam sæpè non habent, qui diurnas operas locant. Sic in Historiis notabat *Posidonius Stoicus*, multos olim fuisse, qui lux imbecillitatis conscii, aliis in servitutem spontè sese darent, ut domini ipsis providerent de necessariis, locò cujus ipsi, quas possent, præstarent operas, *Grot. de J. B. l. 2. c. 5. §. 27.* Si itaque tali modò per Ergasteria emendabiles castigentur, vitia radicitus extirpentur, putrida membra rescentur, complures effectus reip. maximè salutares exinde emanare necessum esset. *Confer. Magnif. Dn. Veit Ludwig von Sedendorff Tract. vom Teutschen Fürsten Staat. part. 2. cap. 8. num. 4. p. m. 215.* Etenim (1.) consulitur autoritati parentum, honestati familiarum, dum liberi pietatem parentibus debitam, non agnoscentes, inque omnis generis vitiis se voluntantes in Ergasteriis dediscunt, quæ in nequitia scholis didicere. (2.) Cives ad honestum vitæ genus inclinant animum, si tali modò cum otiosis hujusque farinae aliis agi cernunt; Exemplò enim deterritus minus delinquit, *l. 6. de pen.* Hincque suis laboribus juvant, remp. ordinaria sc. tributa solvendo, quæ otio dediti minus solvere possent. Otium enim paupertas certissimè sequitur, teste Salomone *Prov. 6. v. 10. & 11.* Jam verò *Wo nichts ist/ hat der Knecht sein Recht verlohren/* sicut Germani dicunt. Alia vitia ex otio venientia prætereo, quæ hac ratione non accidunt. (3.) Lues feodorumque morborum contagia, quibus erronee civitates inficere solent, evitantur. (4.) Proditores atque exploratores v. g. Zygarri &c. arcentur, qui patriæ nostræ consilia aliis populis referre solent, *cit. Generos. Dn. à Sedendorff/ in addit. ad loc. allegat. §. 42. n. 10. p. m. 202. ubi fusè.* (5.) Non tam multi ab improbis decoctoribus re suâ defraudantur, dum isti decoctores Ergasteriorum metu à tam improbò factò absterrentur, *d. l. 6. de pen.* (6.) Mirum in modum augetur ærarium, non modò laboribus in Ergasteriis laborantium; Verùm etiam vectigalibus, quæ propter exportandas merces in Ergasteriis confectas emptores peregrini solvunt. (7.) Evitantur incommoda à relegatis & fustigatis inferri

ferri plerumque solita, impensisque in delinquentium executionem faciendis parcitur, ut supra quoque dixi. Alios vel sexcentos effectus brevitatis studio omitto, de Contrariis, videl. de dimissione & fugâ pauca quoque adjecturus. Istam ergo quod attinet, puto, quod extra leges positivas humanas mortem promeriti prorsus non sint dimittendi. Ad tempus verò tantum in Ergasteria, condemnati, tempore præterlapsò, sint dimittendi, sufficienti cautione præstitâ de non vindicandò Ergasteriò; Hancque præstare non valentes tamdiu retinendi, quoad possint præstare. Si ne certò tempore condemnati sunt dimittendi, quandò signa emendatæ vitæ sufficientia adsunt, etiam tamen sub cautione. Hanc quod Ipestat, credo nullum tam facile aufugere posse, cum Ergasteria loca sunt munitissima. Si verò quis forsitan aufugisset, iterum deprehensum gravioribus, atque antea laboribus, sine dubiò mancipaturus est magistratus, ut is aufugiendi cogitationes libenter imposterum intermittat. Restare denique videtur, ut de Ergasteriorum Affini, nim. de damnatione ad triremes sermonem, quoq; faciam. Damnare ad triremes Germanis dicitur auf Galeen schmieden / quod voc. descendit à Gallicò Galere, triremis. Poenâ verò hæc secundum communem Dd. sententiam in locum damnationis in metallum successit, *Schultz. Synops. Inst. tit. 12. lit. b. Besold. Thes. Pr. voc. Auff den Galeen schmiden.* Et possunt quidem personæ supra in Ergasteria condemnandæ, ad triremes condemnari pro arbitrio atque utilitate cujusque Reip. Quoniam itaque Resp. maritimæ sæpè necesse habent certum aliquem triremium numerum v. g. ad expeditionem bellicam instruere, ad quas agendas opus habent robustis remigibus; E re suâ satius esse credunt, mancipandos aliàs Ergasteriis terrestribus mancipari Ergasteriis nauticis s. triremibus. Interdum tamen expedit ut in exemplum aliorum sceleratissimi juxta legum rigorem puniantur, ut unius poena metus esse possit multorum, *l. 1. C. ad L. Jul. repetund. l. 28. §. 15. ff. de pen.* Triremium autem candidatis abradi primò solent crines bilique à vertice usque ad calcem, ne forsitan hospitium inveniant animalcula ex sudore generari solita. Deindè iis inducitur subligaculum nauticum & subucula ex vilis tudyque pannò confecta, atque ad genua usque demissa, ejus co-

C 3 lorie



loris, quem Trierarchus pro notâ gestat s. discrimine navali. Mox pedibus illorum injiciuntur catenæ præter propter trium ulnarum. Et quidem pedi sinistro eorum, qui à puppi proram versus dextrum tenent latus, dextro verò istorum, qui sinistram tenent latus, ut facilius tam hi, quam illi remigare possint. Detenuissimò victu vid. *Damboud. Prax. Crimin. c. 153. n. 71.* quem lautiozem interdum sibi comparare possunt ex peculiò nauticò, quod ipsis conceditur. Scitè admodum de eorum vigiliis dicit *Damb. d. c. n. 72.* quod propter eas apud Trierarchum eodem locò isti remiges habeantur, quò apud locatores equi meritorii, cum quolibet momentò, quò appellantur, debeant expergisci. Insuper, mancipia ista pœnis quoq; oppidò severis subjiciuntur ob delicta. Et quidem ob leviora nervis taurinis, equinis aut mularibus, fustibus item digitalibus atque innodatis restibus in ventrem, aut tergum, aut plantas pedum benè multa accipiunt verbera; Ob graviora autem interdum utròque pede ad diversas triremes alligantur, triremibusque incitatis remis disjunctis, dilacerantur, *Damboud. d. c. n. 80.* Tempore denique condemnationis præterlapsò, nisi ad vitæ tempus quidam triremibus fuerint addicti, iterum dimittuntur, solutò precìò pro impensis nervorum, funium & catenarum aliarumque rerum. Sed hîc finem facio, me, si immaturum quid protuli, Tuo, L. B. maturo judicio lubentissimè submissurus.

S. D. G.

JOHANNES GEORGILIS SIMON, J. U. D.

Pereximio, clarèq; docto
DN. SAMUELI ZÜLLICHIO, ALTENBURGENSI,
F. P. P.

STrenuum profectò opus, bonoq; perinde communi haud leviter proficuum præsentî Tuâ Dissertatione moliris, Doctissime Züllichi, tum maximè quod disturbando satanicam otiosorum sentinam, amovendoq; pariter nocivam inutilium colluviem, magistratui, ut publica aperiat ergasteria, autoritas absolute industrius. Quantas etenim ubique turbas dederrint infelix patratorem rubigo, protervumque semper pejoribus insistendi carcinoma, vel ex eo saltem accuratius est colligere, quod omnis in universum mortalitas, primâ Parentû infecta labe, tota

tota

tota ad sui perniciem, coeco quasi impetu, feratur, sibi que papilionis instar, nocturnum candelæ circumambulantis calorem, iniquiora multoties ante tempus fata maturet. Ast cunctis hisce miseriis cum prospero utique successu fomentum suum exitiale subjecit, nauseabunda illa laborum detestatio, similiter & infecuta impune quidvis audendi confidentia, quibus magna perversorum pars temere hactenus innixa profanis sacra miscere, motusque accire seditiosos non erubuerunt. Macte idcirco erudita virtute, dilectissime Züllich, qui Juris iterando studium vigiles sepius perduxisti noctes, unice eo intentus, quò exoptato tandem subigatur concatenata Legum series, simul ac coërceatur effrenata tumultuantium barbaries. Pergas modo, non interrupto conamine, susceptam in posterum continuare telam, quam fama Tibi, quod amicitus voveo! ad Patriæ, totiusque Reip. incrementum tandem sva-visime perducet, Vale. Dabam Jenæ die 8. Junii; Anno 1670.

Dists/ ein hurtger Geist/ in welchem Tugend glimmt /
 Der zeigt den Zunder bald / der seine Flamme nehret /
 In dem er nichts/ als nur was rühmlich vor sich nimt /
 Und dieses machts / das man so thanem billich ehret.

Ein tapffrer Held/ so stets nach hohen Thaten ringt /
 Wird bloß von dem Gewinn des Nachruhms auffgemahnet /
 Weil einig dieser Ihm den rechten Adel bringt ;
 Der Fleiß so Kunst erwirbt / hat gleichen Weg gebahnet /
 Wer diesen emsig folgt / gelanget bald dahin /
 Wo tapffrer Helden-Muht und schöne Künste prängen
 Zwar/ dieses ist gewiß/ so lösslichen Gewinn
 Kan niemand ohne Müh und steten Fleiß erlangen
 Ein Degen / Schild und Helm die adeln einen Held /
 Die kluge Feder kan uns gleich so edel machen ;
 Mein werther Freund/ diß Werck / das du hier vorgestell /
 So deinen Fleiß und Kunst und Müh und offtes Wachen
 Genugsam offenbahret / erwirbt Dir einen Lohn /
 Der auch das Sterben trucht. Fahr fort in deiner Tugend /
 Mein Freund/ denn diese nur erlanget der Themis Kron /
 Die soll einst deine/ vor die Ihr verehrte Jugend.

Mit diesem geringfügigen wolte dem Herrn Antwortendem
 seinem werthgeehrten Freunde schuldigst aufwarten
Jeremias Schröter
 D. N. B.



Madrigall.

Diel führen so ein Leben /
Das der Cyclophen Art gar ähnlich siht:
Hier sihet man die Lasterflamme schweben /
So von der Bosheit/Zunder ganz erglüht:
Dort gibtes Kinder wilder Art /
So Zügel Freye Zucht vom Eitern wollen haben /
Damit sie mögen laben
Ihrn Sünden vollen Sinn und Willen /
Der öftters nicht zu stillen /
So gar / daß auch *Astrea* selbst
Diss arge Thun zu straffen angestellte /
Inmaassen diese Kluge Schrifft
Zur Gnüge den Gelehrten kan beweisen /
So selbst der *Themis* wohl gefälle.
Drum muß auch ieder Ihn Herr Züllich/billich pressens
Aus obtlegender Schuldigkeit wolte dieses geringe
seinem werthen Sönnner und Freunde hinzusehen
C. K. N. D.

Sonner.

Als nicht ein ieder Sinn der Tugend sich ergiebet /
So doch vor allen Thun sonst Felsen feste steht /
Daß auff den Sitten-Weg nicht ieder Mensch geht /
Daß nicht ein ieglicher / was recht und billich / liebet /
Daß von dem Kinde oft der Vater wird betrübet /
Und was dergleichen mehr; macht / daß wir nicht mehr rein /
Und von dem höchsten Guth so weit entfernet seyn.
Deswegen billich auch so Straffe wird verübet
An dem/der böses thut. Als: Kinder ohne Zucht /
So von sich geben nicht die langgehoffte Frucht /
Sperrt man verschlossen ein / und pflegt sie so zu ziehen /
Wie hier Herr Züllich hat in seiner Schrifft bezeugt /
Die Schrifft durch welche Er zum *Themis* Throne steigt:
Drumb wird sein hohes Lob in voller Blüthe blühen!
Durch dieses wolte seine Schuldigkeit bezeugen
Joh. Christ. Heincke/Philos. Stud.

F I N I S.


ULB Halle 3
003 349 802




56.

WMA







B.I.G.

Farbkarte #13

4. num 17. 836.

~~XIV~~

1670, 44^a

13

N. J

STERIA

LINARIA

ULGO

achthäuser

ATIS. JURIDICÆ. PERMISSI

ÆSIDE

RG. SIMONE. I

ILATIONI. EXPONIT

E L. Sullich

BURGENSIS

AUTOR

UNII. A. O. R. M. DC. LXX

IS. NISIANIS

